

ADSONIS ABBATIS DERVENSIS LIBELLUS DE ANTICHRISTO.

526 MONITUM PRÆVIUM.

Cl. D. Andreas Quercetanus hunc libellum, ex cod. ms. viri illustris Jacobi Augusti Thuanii, Operibus beati Alcuini sub titulo : *Vita Antichristi ad Carolum Magnum*, inseruit p. 1209, nihil hæsitans, fœtum esse nostri scriptoris genuinum. Et huic certe opinionem astipulari videtur codex Regius Parisiensis, notatus num. 4411, qui eundem libellum cum hac repræsentat inscriptione : *Incipit Vita Antichristi ad Carolum Magnum ab Alcuino edita*, prout testantur celeberrimi Operum sancti Augustini editores in Appendice tom. VI, pag. 722. Favet quoque Joannes Baleus Anglus, qui *Centuria II* Scriptorum Britannicæ inter beati Alcuini scripta recenset *Librum unum de Antichristo ad Carolum*, cujus initium sit : *Imprimis illud præcipue*.

Verum nemo eruditorum ferme nunc dubitat quin ille tractatus, sicut olim ex incuria et neglecta crisi a librariis sancto Augustino, loco supra citato, et Rabano Mauro, tom. VI Oper., pag. 177, ita etiam beato Alcuino falso fuerit ascriptus; verus vero illius auctor sit Adso monachus et abbas monasterii Dervensis (*Montier-en-Der*). In hanc sententiam eruditores traxit detecta deinceps, et ab ipso du Chesno, tom. II Script. Hist. Franc., pag. 844, edita epistola dedicata ipsius Adsonis ad Gerbergam reginam Ludovici transmarini uxorem; quam epistolam plenior posthac dederunt San-Mauriani, tom. XI S. Aug., inter Addenda et Corrigenda. In hac siquidem epistola celebris ille abbas (Vide tom. VI *Hist. Lit. Franciæ*, pag. 471 et seqq.) aliis variis scriptis clarus; sese auctorem nominat, et quæstionibus Gerbergæ reginæ, quid de Antichristi impietate, potestate, persecutione et generatione credendum sit, respondere se profitetur. Illi ergo tanquam viro probo ac pio fides adhibenda; et credendum est hocce opusculum, antequam illi Adso manum admoveret, hoc est, ante sæc. x nondum existisse. Quo vero errore contigerit ut idem libellus nunc sancto Augustino, nunc Rabano Mauro tribueretur, non indiget multa inquisitione: norunt enim eruditi qui veteres codices scrutari et elucubrare consueverunt, multoties diversorum scriptorum opuscula commisceri in uno volumine, quod ob primarium opus ibi descriptum, unius cujusdam celebris scriptoris præferebat nomen, reliquis inscriptione destitutis et quasi per appendicem adjectis, cujus rei multa exempla afferre possemus, nisi esset notissima.

Quod vero beatum Alcuinum nostrum attinet, singulare quoddam factum errori ac suppositioni occasionem dedisse putamus. Exstat ille libellus in cod. Vaticano 6444 pergamento in-4^o sæc. xiii, nec non in altero Palatino 345, chartaceo in fol. sæc. xv, et in utroque attribuitur Albuino, inscriptus tamen non regi Carolo, sed Eriberto Coloniensi episcopo. Eidem certe, sed sub nomine *Albini magistri* tribuitur in bino codice cartusiarum Axspacensis in Austria sæc. xv, sub hoc titulo : *Albinus magister Heriberto Coloniensi archiepiscopo, de adventu Antichristi*. Vides quomodo fieri potuerit ut a veteribus, iisque incautis descriptoribus confunderetur ob vicinitatem, reor, nominis *Albuinus* cum *Albino* magistro, seu *Alcuino*, quamvis multo antiquiori, tamen notiori.

Albuinus ille eremitam a se nominat seu reclusum monasterii olim celeberrimi Gorziensis (*Gorze*) in

A agro Metensi, qui etiam textus S. Scripturæ et SS. Patrum de virtutibus instructes collegit, illudque opusculum eidem Eriberto archiepiscopo Coloniensi inscripsit, quod adhuc latet in bibliotheca canonicorum regularium Tongrensium; epistolam vero illi præmissam edidit D. Martene, tom. I Ampl. Collect. vet. Script., pag. 360, quæ ibi legi potest. Altera vero epistola priori in multis similis in cod. Vaticanis præfixa habetur opusculo de Antichristo, quæ plane una cum eodem opusculo deponenda est ex Adsonis tractatu. Ita enim sonat : « Eriberto Coloniensi episcopo Albuinus suorum omnium servorum ultimus, gloriam et pacem sempiternam. Ex quo, Domine Pater, misericordiæ vestre gratiam promerui, semper vobis in omnibus fidelis fui. Unde quamvis indignæ sint apud Deum orationes meæ, tamen pro vobis semper Dei nostri misericordiam exoro, ut vos faciat post hanc vitam secum feliciter regnare. Igitur quia plurimum studium habetis Scripturas audire et frequenter loqui de nostro redemptore; sive etiam scire de Antichristi impietate et persecutione, nec non et potestate ejus et generatione, sicut mihi servo vestro dignati estis præcipere : volui vobis aliqua scribere de Antichristo, et ex parte certum reddere, quamvis apud vos habeatis satis 527 prudentissimos viros et valde necessarios nostro tempore. Igitur de Antichristo scire volentes primo notabitis, quare sic vocatus sit, etc. » Et ita pergit, uti apud Adsonem legitur, nisi quod in nonnullis differat, quæ suo loco notamus.

Ne porro cuipiam ex lecta hac epistola dubium subrepat, an non libellus hic de Antichristo Albuino potius eremitæ quam Adsoni sit tribuendus, tempora scriptæ utriusque epistolæ discernenda sunt. Albuinus libellum istum misit ad Heribertum archiepiscopum Coloniensem; ergo non ante annum 999, quo is ad eandem sedem archiepiscopalem promotus fuit^b. Adso vero illum misit ad Gerbergam reginam, vivente adhuc seniore seu marito suo Ludovico scilicet, pro cuius et filiorum incolumitate divinam misericordiam se semper exorare profitebatur. Scripsit ergo Adso hunc tractatum ante annum 954, quo Ludovicus Transmarinus mortuus est die iv Idus Septembris^c. Scripsit vivente adhuc Roricone episcopo Laudunensi, quem in fine laudat, et qui sedem illam conscendit anno 949, obiit vero anno 976^d : Ex quibus luce clarius apparet, Albuinum et libellum et ipsam epistolam ab Adsone mutuasse; simul tamen occasionem erroris posterioribus scriptoribus præbuisse, ut Albuino Albinum seu Alcuinum substituerent; posthac vero, cum in ipso opusculo mentio fieret cujusdam regis Romanorum, statura grandis, aspectu decori, vultu splendidi et per singula membrorum lineamenta decenter compositi, cujus nomen a littera *C* incipit, id quidam forte de Carolo Magno interpretarentur, et opusculum ad illum missum fuisse nimis confidenter effarentur et scriberent. Cæterum libellus iste compilatus est ex sententiis sancti Augustini, lib. xx de Civ. Dei, cap. 11, etc.; tract. 2 in cap. II epistolæ S. Joan. ad Parthos; Rabani Mauri lib. xxii in Apost., cap. 2; et ex ipsius Alcuini libro iii de Trin., cap. 29. Consule, si placet, quæ scribit D. Rivet tom. VI Hist. Lit. Franciæ, pag. 477 et seqq. Sequimur hoc loco editionem D. Quercetani, tanquam plenior, et addimus ex aliis editionibus ac cod. mss. lectiones quasdam differentes.

^a Sanderus, Bibl. ms., part. 1, pag. 156.

^b Rupertus Tuitiensis in Vita S. Herib., cap. 4, num. 1; Act. SS., tom. II Martii, pag. 476.

^c Frodoardus in Chron. ad hunc annum.

PATROL. CI.

^d D. Ceillier, Hist. Gén. des Auteurs sacrés, tom. XIX, pag. 700; Auctores Hist. Litt. Franciæ, tom. VI, pag. 43, num. 58.

ADSONIS

ABRATIS MONASTERII DERVENTIS *.

LIBELLUS DE ANTICHRISTO

AD GERBERGAM ^b REGINAM.

Excellentissimæ reginæ ac regali dignitate pol-
lenti, Deo dilectæ, omnibusque sanctis famabili,
monachorum matri et sanctarum duci, dominæ Ger-
bergæ, frater Adso suorum omnium servorum ulti-
mus gloriam et pacem sempiternam.

Ex quo, domina mater, misericordiæ vestræ ger-
men promerui, semper vobis in omnibus fidelis fui
tanquam proprius servus. Unde quamvis indignæ
sint apud Dominum preces orationis meæ, tamen
pro vobis et pro seniore vestro domino rege; nec
non et pro filiorum vestrorum incolumitate, Dei
nostri misericordiam exoro, ut vobis et culmen im-
perii in hac vita dignetur conservare, et vos faciat
in cœlis post hanc vitam secum feliciter regnare.
Quoniam si Dominus vobis prosperitatem dederit,
et filiis vitam longiorem, scimus indubitanter et
credimus, Ecclesiam Dei exaltandam, et nostræ re-
ligionis ordinem magis ac magis multiplicandum.
Hoc ego fidelis vester opto, et valde desidero; qui si
potuissem vobis totum regnum acquirere, libentis-
sime fecissem: sed quia illud facerem non valeo, pro
salute vestra filiorumque vestrorum Dominum exor-
abo, ut gratia ejus in operibus vestris semper vos
præveniat, et gloria illius pie et misericorditer sub-
sequatur, ut divinis intenta mandatis, possitis adim-
plere bona, quæ desideratis, unde corona vobis de-
tur regni cœlestis. Igitur quia pium studium habetis
Scripturas audire, et frequenter loqui de nostro Re-
demptore; sive etiam scire de Antichristi impietate
et persecutione, nec non et potestate ejus et genera-
tione, sicut mihi servo vestro dignata estis præcipe-
re, volui aliqua vobis scribere, et de Antichristo ex
parte certam reddere, quamvis non indigeatis a me
hoc audire, quæ apud vos habetis prudentissimum
pastorem dominum Roriconem ^c, clarissimum spe-
culum totius sapientiæ atque eloquentiæ hac valde
nostra ætate [*F. add.* necessarium].

528 Imprimis proferendum est nobis quare Anti-
christus dicitur. Ideo scilicet ^d, quia in cunctis Chri-
sto contrarius erit, id est, Christo contraria faciet.
Christus venit humilis, ille venturus est superbus,
Christus humiles venit erigere, peccatores justifi-
care; ille e contrario humiles dejiciet, et peccatores
magnificabit, impios exaltabit et semper vitia, quæ
sunt contraria virtutibus, docebit. Legem evangeli-
cam dissipabit, demonum cultum in mundum

A [*Cod. Vat.*, in mundo] revocabit, gloriam pro-
prium quæret, et omnipotentem [Deum] se no-
minabit.

Ille itaque Antichristus multos habet suæ infide-
litas [*Id. cod.*, habebit suæ malignitatis] mini-
stros, ex quibus jam multi in mundo præcesserunt,
qualis fuit Nero, Antiochus Domitianus. Nunc quo-
que nostro tempore multos Antichristos novimus
[esse]; quicumque enim, sive laicus, sive cano-
nicus, sive monachus, contra justitiam vivit, et
ordinis sui regulam impugnat, et, quod bonum est,
blasphemat, Antichristus et minister Satanæ est.
Sed jam de exordio Antichristi videamus. Hoc au-
tem obtestor in Christo, quod dicturus sum, ex
proprio sensu non fingo ^e: sed in libris authenticis
B diligenter relegendo hæc omnia scripta invenio.

Sicut ergo auctores nostri dicunt, Antichristus
ex populo Judæorum nascetur de tribu Dan, se-
cundum prophetiam dicentem: *Fiat Dan coluber in*
via, et cerastes in semita, mordens ungulam equi, ut
cadat ascensor ejus retro (*Gen. XLIX, 17*). Sicut
enim serpens sedebat in via et in semita erit, ut eos
qui per semitam justitiæ ambulaverint [*Cod. Vat.*,
per semitas. . . ambulant], feriat, et veneno suæ
malitiæ occidat. Nascetur autem ex patris et matris
copulatione, sicut alii homines, non ut quidam fa-
bulantur de sola virgine [^f nec de episcopo et mo-
nacha, sicut alii delirando dogmatizant: sed de
immundissima meretrice et crudelissimo nebulone].
Totus in peccato concipietur, in peccato generabitur,
et in peccato nascetur. In ipso vero etiam germina-
tionis suæ primordio [*Id. cod.*, conceptionis suæ
initio] diabolus simul intrabit in uterum matris
suæ ^g [caput superbiæ, magister erroris, plenitudo
malitiæ. Qui positus in sublime, ut ait beatus Grego-
rius, naturam potentiæ suæ non perdit vel dejectus.
Cujus virtus idcirco non ostensa est, nec nunc osten-
ditur, qua divinæ dispositionis fortitudine incatenatus
tenetur. Tunc dissolvetur et exiet, et per illud
suum vas terribiliter seducet gentes. Hic erit ille de
quo dicit Joannes: *Vidi angelum descendentem de*
cælo, habentem catenam magnam et clarim abyssi in
manu sua tenentem: et apprehendit draconem, qui
est diabolus et satanas, et clausit illum per mille an-
nos: et post mille annos solvetur et exibat, et seducet
gentes (*Apoc. xx, 1 seq.*). Hic est rex super omnes
filios superbiæ, cujus virtus semper cum illo erit].
Et sicut in matrem [*Cod. Vat.*, in ventrem matris]
Domini nostri Jesu Christi Spiritus sanctus venit,
et eam sua virtute obumbravit et divinitate replevit,
ut de Spiritu sancto conciperet, et quod nasceretur,

pag. 521.

^d Codd. mss.: « Ergo de Antichristo scire volentes
primo notabitis quare sic vocatus sit. Scilicet. » etc.

^e *Cod. Vat.*: « Non autem quod dico, ex proprio
sensu fingo vel excogito. »

^f Uncis inclusa omitt. in codd. mss.

^g *Cod. Vat.*: « introibit in uterum matris ejus, et
virtute diaboli confovebitur et conturbabitur in ven-
tre matris, et virtus diaboli semper cum illo erit. »
Omissis quæ uncis comprehendantur.

* Adso monachus Luxoviensis, posthac ob præ-
clara merita in abbatia Dervensi successit Alberico
circa annum 968. Scripsit vero hanc epistolam non-
dum abbas, nimirum ante annum 954, quo Ludo-
vicus Transmarinus obiit mense Octobri. Vide Hist.
Lit. Franciæ tom. V, pag. 471, etc.

^b Gerberga, uxor Ludovici Transmarini, soror
Otonis I imp. (Frodoardus.)

^c De Roricone episcopo Laudunensi consule Gal-
liam Christianam, tom. IX, edit. Paris., anni 1751,

divinum esset et sanctum; ita quoque diabolus in A matrem Antichristi descendet, et totam eam replebit, et totam eam circumdabit, totamque tenebit, et totam interius exteriusque possidebit eam, ut diabolo per hominem cooperante concipiat, et quod natum fuerit totum sit iniquum, totum malum, totum perditum. Unde et ille homo *filius perditionis* appellatur, quia in quantum poterit, genus humanum perdet, et ipse in novissimo perdetur.

Ecce audita nativitatis qualitate locum, ubi nasci debeat, audite. Nam sicut Dominus ac Redemptor noster Bethlehem sibi prævidit, ut ibi pro nobis humanitatem assumere et nasci dignaretur: sic diabolus illi homini perditio, qui Antichristus dicitur, locum novit aptum, unde radix omnium malorum oriri debeat, scilicet civitatem Babyloniam; in hac enim civitate ^b, quæ quondam fuit inclita et gloriosa [^c urbs gentilium] et caput [totius] regni Persarum, Antichristus nascetur; et in civitatibus Bethsaide et Corozaim nutriri [et conversari] dicitur: quibus [civitatis] Dominus in Evangelio impropertat, dicens: *Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaïda* (*Matth. xi, 21; Luc. x, 13*)! Habebit autem Antichristus magos et ariolos et maleficos et incantatores et divinos, qui eum [diabolo inspirante] nutrient et docebunt, et imbuent in omni iniquitate et falsitate et nefaria arte: et maligni spiritus erunt duces ejus et socii semper et comites [*Cod. Vat.*, et commilitones] indivisi. Deinde Hierosolymam veniens, omnes Christianos quos ad se non poterit convertere, per varia tormenta jugulabit, et suam sedem in templo sancto parabit. Templum etiam destructum, quod Salomon Deo paravit, ædificabit, et in statum suum restaurabit, et circumcidet se, et Filium Dei omnipotentis se esse mentietur.

Reges autem et principes primum ad se convertet, et deinde per illos cæteros populos. Loca vero per quæ Dominus Jesus Christus ambulavit, et ipse perambulavit: sed prius destruet quæ Dominus illustravit. Deinde per universum mundum nuntios mittet et prædicatores suos. Prædicatio autem ejus et potestas tenebit a mari usque ad mare, ab oriente usque [^d ad occidentem et ab aquilone usque] ad septentrionem. Faciet quoque signa multa et miracula magna et inaudita. Faciet ignem de cælo terribiliter descendere, arbores subito florere et crescere [*Id. cod.*, arescere], mare turbare et subito tranquillari: naturas etiam in diversis figuris mutari, aquas [*Id. cod.*, aquarum cursus] contra cursus et ordinem converti, aera ventis commotionibusque multis agitari, et cætera quoque mirabilia [*Id. cod.*, innumerabilia] et stupenda, mortuos scilicet in conspectu hominum resuscitari, ita ut in errorem in-

ducantur, si fieri potest, etiam electi (*Matth. xxiv, 14*). **529** [^e Sed et mendacia erunt, et a veritate aliena: quia per magicam artem et phantasiam deludet homines, sicut et Simon Magus illudit illum, qui putans occidere eum, arietem occidit pro eo.] Cum enim tanta et talia signa viderint etiam illi qui perfecti et electi Dei sunt, dubitabunt utrum ipse sit Christus, qui in fine mundi secundum Scripturas venturus est, an non. [^f Hæc autem omnia miracula omnibus modis per incantationes diabolicas falsa erunt, peccatoribus et incredulis videbuntur vera.]

Excitabit persecutionem sub omni cælo super Christianos et omnes electos. Eriget itaque se contra fideles tribus modis, id est, terrore, muneribus et miraculis. Dabit credentibus in se auri atque argenti copias [^g tempore enim ejus omnes absconditi thesauri revelabuntur]. Quos autem muneribus corrumpere non poterit, terrore superabit; quos autem terrore non poterit [vincere], signis et miraculis seducere tentabit; quos nec signis poterit [illudere] in conspectu omnium mirabili morte cruciatos crudeliter necabit [*Cod. Vat.*, miserrabili morte temptabit necare]. Tunc erit talis tribulatio, qualis non fuit super terram ex tempore, quo gentes esse cœperunt usque ad illud tempus. Tunc qui in agro erunt, fugient ad montes dicentes: cadite super nos; et collibus, cooperite nos, et qui supra tectum, non descendet in domum suam, ut tollat aliquid ab ea, sed seipsum dabit præcipitem (*Matth. xxiv, 16 seq.*). Tunc omnis fidelis Christianus, qui inventus fuerit, aut Deum negabit, aut sive per ferrum, sive per ignem fornacis, sive per serpentes, sive per bestias, sive per aliquid aliud quodlibet tormentorum genus interibit, si in fide permanserit.

Hæc autem tam terribilis et timenda tribulatio tribus annis et dimidio manebit [^h in toto mundo]. Tunc abbreviabuntur dies propter electos (*Matth. xxiv, 22*); nisi enim Dominus abbreviasset dies, vix salva esset [*Cod. Vat.*, non fuisset salva] omnis caro. Tempus siquidem, quando Antichristus venerit, vel quando dies iudicii apparere cœperit, Paulus apostolus in Epistola ad Thessalonicenses demonstrat dicens: *Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, etc.* (*II Thess. ii, 3*). Scimus autem quoniam post regnum Græcorum, sive etiam post regnum Persarum, ex quibus unumquodque suo tempore magna gloria vixit, et magna potentia floruit, ad ultimum quoque post cætera regna, regnum Romanorum incœpit [*Ms. Reg.*, incipiet], quod fortissimum omnium regnorum superiorum fuit [*Ms. Reg. erit*], et omnia regna sub dominatione sua habuit [*Id.*

^a *Cod. Vat.*: « Ecce audistis qualiter nascetur, audite etiam locum ubi », etc.

^b *Cod. Vat.*: « in civitate Babylonica; in hac videlicet civitate. »

^c Addita ex *cod. Vat.*

^d Ex *cod. Vat.*

^e Uncis inclusa omitt. in *cod. Vat.*

^f Ex *cod. Vat.*

^g Omiss. in *cod. Vat.*

^h Ex *cod. Vat.*

cod., habebit) : omnes quoque populorum nationes Romæ subiacebant, et serviebant ei [*Id. cod.*, Romanis subiacebunt et servient eis] sub tributo. Inde ergo dicit Apostolus, Antichristum non antea in mundum esse venturum, nisi venerit discessio primum, id est, nisi omnia regna mundi discesserint a Romano imperio, cui prius subdita erant. Hoc autem tempus nondum venit, quia licet videamus Romanorum regnum in maxima parte jam destructum, tamen quandiu reges Francorum duraverint, qui Romanum imperium tenere debent, dignitas Romani imperii ex toto non peribit, quia stabit in regibus suis. Tradunt namque doctores nostri ^a quod unus ex regibus Francorum Romanum imperium ex integro tenebit, qui in novissimo tempore erit; et ipse erit maximus omnium regum et ultimus, qui postquam regnum suum fideliter [*Cod. Vat.*, feliciter] gubernaverit, ad ultimum Hierosolymam veniet, et in monte Oliveti sceptrum et coronam suam deponet. Hic erit finis et consummatio Romanorum et Christianorum imperii, secundum prædictam Apostoli sententiam Antichristum dicunt mox adfuturum, et tunc *revelabitur ille homo peccati*, Antichristus videlicet, qui licet homo sit, fons tamen erit omnium peccatorum: et *filius perditionis*, hoc est, filius diaboli [^b non per naturam, sed per imitationem], quia per omnia adimplebit diaboli voluntatem; quia plenitudo diabolice potestatis et totius maligni ingenii in eo habitabit [*Al. add.* corporaliter]: in quo erunt omnes thesauri malitiæ et iniquitatis absconditi. Qui *adversatur*, id est, contrarius est Christo Deo et omnibus membris ejus. Et *extollitur*, id est, erigitur in superbiam, *supra omne quod dicitur Deus*, id est [^c supra omnes sanctos, qui secundum Psalmistam dñi dicuntur: *Ego dixi, dñi estis* (*Psal.* lxxxi, 6). Vel] *supra omnes deos gentium*, Herculem videlicet, Apollinem, Jovem, Mercurium, quos pagani deos esse existimant. Super omnes istos deos extolletur Antichristus, quia majorem et fortio-rem se omnibus faciet: et non solum super hos, sed etiam *supra omne quod colitur*, id est, supra sanctam Trinitatem, quæ sola colenda et adoranda est, ut Creator ab omni creatura sua. Ita se extollet, ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus. Nam sicut supra diximus, in civitate Ba-

^a Hanc prophetiam famosam quidem at simul inspidam vocat D. Rivet. Hist. lit. Franciæ, tom. VI, pag. 480, D. le Beuf, *Recueil de div. écrits*, tom. II, pag. 41, not., observat, illam non legi in exemplari quod servatur in abbatis S. Victoris Parisiis.

^b Omitt. in Aug.

^c Omitt. in cod. Vat.

^d Ex cod. Reg. et Aug.

^e *Recipient diabolum*. In cod. Vat. et apud Rabanum ita pergitur: « Sive etiam in templo Dei sedebit Antichristus, id est, in sancta Ecclesia, omnes Christianos cupiens facere martyres; et ele- vabitur et magnificabitur, et in ipso erit caput omnium malorum diabolus, qui est rex super omnes filios superbiæ: sed ne subito et impro- vise Anti-

byloniæ natus, Hierusalem veniens circumcidet se dicens Judæis: Ego sum Christus vobis repromissus, qui ad salutem vestram veni, ut vos, qui dispersi estis, congregem et defendam. Tunc ad eum concurrent [^d omnes Judæi], et existimantes se recipere Christum, recipient diabolum ^e, secundum quod Dominus in Evangelio ait Judæis: *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me; si alius venerit in nomine suo, hunc recipietis* (*Joan.* v, 43).

Sicut in sibyllinis versibus habemus, tempore prædicti regis, cujus nomen erit C. rex Romanorum totius imperii, statura grandis, aspectu decorus, **530** vultu splendidus, et per singula membrorum lineamenta compositus decenter, erunt divitiæ magnæ, et terra dabit fructum suum, ita ut tritici modius denario uno venundetur, vini et olei similiter. Tunc exsurgent ab Aquilone spurcissimæ gentes, quas Alexander rex inclusit in Goch et Magoch. Hæc sunt viginti duo [*Ms. Reg.*, duodecim] regna, quorum numerus est sicut arena maris. Quod cum audierit Romanorum rex, convocato exercitu debellabit eos, et prosternet eos usque ad internecionem. Hic semper habebit præ oculis Scripturam ita dicentem: Rex Romanorum omne sibi vindicet regnum terrarum. Omnes ergo insulas et civitates devastabit, et universa idolorum templa destruet, et omnes paganos ad baptismum convocabit, et per omnia templa crux Christi erigetur: Judæi etiam tunc convertentur ad Dominum. *In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter* (*Jerem.* xxxiii, 16). Impletis autem centum duodecim [*Ms. Reg.*, duodecim, om. centum] regni ejus annis veniet Hierusalem et ibi, ut dictum est, deposito diademate relinquet Deo Patri et Filio ejus Christo Jesu regnum Christianorum, et erit sepulcrum ejus gloriosum.

Tunc mittentur in mundum duo magni prophætæ, Elias et Enoch, qui contra impetum Antichristi fideles divinis armis prænuntient, et instruent eos, et confortabunt, et præparabunt [^f electos] ad bellum. ^g Tunc implebitur Scriptura quæ dicit: *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiae salvæ fient* (*Rom.* ix, 27).

^d Postquam vero impleverint prædicationem suam, insurget Antichristus in eos, et interficiet ^h, sicut

christus veniat, et totum simul humanum genus suo errore decipiat et perdat, ante ejus exortum duo magni prophætæ mittentur in mundum, Enoch et Elias, etc., ut infra, omissis quæ ex sibyllinis versibus hic afferuntur.

^f Ex Cod. Vat.

^g In cod. Vat. et Aug. hæc inseruntur: « Docentes et prædicantes tribus annis et dimidio; filios autem Israel, quicunque in tempore fuerint inventi, hi duo magni prophætæ et doctores ad fidei gratiam convertent, et a pressura tanti turbinis in parte electorum insuperabiles reddent. Tunc implebitur Scriptura », etc.

^h Cod. Vat.: « Postquam ergo per tres annos et dimidium prædicationem suam compleverit, mox incipiet excandescere Antichristi persecutio, et con-

in Apocalypsi legitur : *Et cum finierint*, inquit, *A* *pilione et solio suo*, in loco illo de quo Dominus ascendit ad cœlos : quod utrumque potest esse, quia si Michael Dei faciem venientis ad iudicium præveniens cum interfecerit, non sua, sed Dei virtus erit et iussio.

Detemus etiam firmissime credere quod cum Antichristus occisus fuerit, non [a] statim veniet dies iudicii, nec] statim ad iudicium Dominus veniet; sed sicut intelligimus ex libro Danielis, quadraginta dies Dominus incantatis et characteratis ad poenitentiam concedet *, propterea quia sunt ab Antichristo seducti. Postquam vero hanc poenitentiam expleverint, quantum temporis spatium postea fiat, quamvis arbitror quod nullus sit qui sciat, sed in dispensatione Dei manet, qui iudicabit sæculum per ignem, ea hora qua præfixit esse iudicandum ante sæcula †. Tamen Augustinus in Epistolam : *Nolumus vos ignorare de dormientibus*, multa luculentissime inde declarat *. Et Hieronymus in expositione septem tularum ad Evervinum ‡, dat nobis inde magnæ scientiæ documenta.

Ecce, domna regina, ego fidelis vester, quod præcepistis, fideliter implevi; paratus de cæteris obedi- re, quæ fueritis dignata imperare.

ascendit ad Patrem, et nullus Antichristo poterit auxiliari, contra se Domino sæviente. Et asserunt ibi Antichristum esse peritum, unde Dominus ascendit ad cœlos.

tra eos primum sua arma corripit, eosque interficiet, etc.

* Cod. Vat. : « Postquam ergo isti duo interfecti fuerunt, inde cæteros persequens martyres eos gloriosos faciet, aut apostatas reddet. »

† Differt in sequentibus cod. Vat., in quo ita pergitur : « Spiritu oris sui, sive Dominus Jesus interfecerit illum, potentia iussionis suæ; sive archangelus Michael interfecerit illum, per virtutem Domini occidetur in Babylone in solio suo, in illo loco contra quem ascendet Dominus ad cœlos. »

‡ S. Greg. lib. xxxii Moral., cap. 15, num. 27 : « Sine manu quippe conteretur (Antichristus), quia non angelorum bello, non sanctorum certamine, sed per adventum iudicis solo oris spiritu æterna morte ferietur. » S. Hieron., in Dan. cap. xi, v. 45 : « Tunc veniet, inquit, Antichristus usque ad summitatem montis ejus, hoc est, montane provincie, id est, verticem montis Oliveti, qui inclutus vocatur, quia ex eo Dominus atque Salvator

Ex cod. Vat.

Cod. Vat. et Aug. : « Quadraginta dies Dominus concedet electis, ut agant poenitentiam. » Apud Rabanum : « Non statim veniet ad iudicium, sed expectabit Dominus quosdam, sicut ex Daniele intelleximus, qui seducti sunt, ut ad poenitentiam revertantur. Postquam vero hanc poenitentiam, etc.

Hic finitur in cod. Vat. et aliis mss.

S. Aug., serm. 172 et 173 de Verbis Apost. II Thess. iv, 12. Verum ibi de his nihil.

Ad Evervinum. Leg. ad Minervium et Alexandrum, quæ est epist. 119 in edit. Veron.

Hæc clausula exstat in mss. unde ipsam epistolam ad Gerbergam reginam accepere editores Operum S. Augustini.

HOMILIÆ QUATUOR

B. ALCUINO SUPPOSITÆ.

531 MONITUM PRÆVIUM.

Clarissimus D. Quercetanus, pag. 1195, tres homilias sub nomine beati Alcuini edidit, ex *Homiliario et Concionibus Patrum*, uti scribit in Elencho operibus a se editis præfixo : nec aliam reddit rationem cur Alcuino essent tribuendæ. Prima agit de *Silentio*, in quo missum est incarnatum Verbum. Altera, de *Nativitate beatæ Mariæ virginis*. Tertia habita in *festo omnium sanctorum*. Homilia secunda, de *Nativitate beatæ Mariæ virginis* nihil aliud est quam expositio litteralis, allegorica et moralis nominum patriarcharum ac progenitorum Christi, in formam homiliæ a quoquam transfusa, quam cum lectionibus variantibus ex cod. ms. S. Emmerami inter genuina beati Alcuini dedimus tomi I parte II, cuius rei rationem dedimus

D ibi in monito prævio. Ista ergo homilia hoc loco omisa, duabus reliquis alias duas addimus, unam de eadem beatæ Virginis Nativitate ex cod. ms. Regio Parisiensi num. 315, ubi is beati Alcuini nomine insinquitur; alteram in Hypapanti seu de Purificatione B. V. Mariæ dictam, ex Miscellaneis D. Baluzii, libr. I, pag. 382-402, ubi pariter Alcuino magistro tribuitur, et dicta videbatur eidem viro celeberrimo coram Carolo Imperatore.

Verum nemo jam est eruditorum qui easdem homilias inter spurias rejiciendas esse non existimet. Ratio generalis prima est, quia quamvis vero sit simillimum beatum Alcuinum tanquam abbatem plurimum monasteriorum multoties fratres suæ curæ commissos, pro occasione occurrentium festivitatum, in admiratio-